

*Articulorum fidei explicatio, Fides, Spes, Invo-
catio &c.*

93. Ad quæstionem illam, qua queritur: An in credentibus habitet ipsa Spiritus Sancti Essentia, an verò tantùm effectivè, secundum dona: quemadmodum Sol in agro esse dicitur, quia ibi sunt radij & operationes ejus, non verò ipsum Solis corpus? Respondemus verbis B. Lutheri, sic scribentis in Psal. 51. *Omittamus inutiles Scholarum disputationes, loquatur né David de divina Persona, an de dono Spiritus? Quid enim hæc etiam accuratè disputata edificant, cùm habeamus clarum testimonium Christi: Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Habitat ergò verus Spiritus in credentibus non tantum per dona, sed & quoad substantiam suam. Neque enim sic dat dona sua, ut ipse alibi sit, aut dormiat: sed adest donis & creature sue conservando, gubernando, addendo robur &c.*

94. Interim tamen Petri Lombardi, sive Magistri sententiarum rejicimus errorem, statuentis,
Lomb. l. 1. Charitatem, quâ nos diligimus DEVM & proxi-
dist. 14. mum, non esse aliquod donum in voluntate; sed esse ipsam personam Spiritus Sancti.

95. Nam uti utrunque verum esse concedimus, & secundum dona & secundum Essentiam, Spiritum Sanctum habitare in credentium cordibus: sic vicissim ita inter duo ista distinguimus, ut do-
na,